



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Compendiosa Praxis Beneficiaria**

**Nicolarts, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1658**

Pius Papa II.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

Inviolabiliter observari. Datum Florentiæ anno Incarnacionis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadragesimo primo. pridie Kalendas Novembris, Pontificatus Nostri anno undecimo. Publicata fuit Leodii anno 1442. mensis Ianuarii die ultima in valuis maioris Ecclesiæ, & ab omni Clero gratanter acceptata & recepta.

S. 15. Confirmavit hæc Pius Papa II. sequenti Constitutio-  
ne.

Quæ confirmavit  
Pius Pa-  
pa 2.



PIUS PAPA II.

Confirma-  
tio & am-  
pliatio  
prædictæ  
Constitu-  
tionis Eu-  
genianæ  
per Pium  
Papam 2.



Ad perpetuum rei memoriam. Laudanda Sedis Apostolicæ reconditudo, quæ in suis actibus providâ circumspectione dirigitur, illis ex Prælati & personis Ecclesiasticis, non immeritò etiam in concessis per eam, declarationis adiecto beneficio, speciales favores & gratiam impartitur, quos facti evidentiâ iudicante, sibi devotos & obsequiosos fuisse & esse cognoscit, ut tales ad eius beneplacita promptius in posterum se coaptent, & alii eorum exemplo ad fideiiores effendum propensius excitentur.

Exordium

Num. I. Dudum siquidem fel. recor. EUGENIO Papæ IV. Prædecessori Nostro ad constantem Venerabilis Fratris Nostri IOANNIS olim Episcopi Leodiensis, ac aliorum Ecclesiasticorum Civitatis & Diocesis Leodiensis, quam

repetitis te-  
norem Con-  
stitutionis  
Eugenii  
Papæ 4.  
in ca be-

B b

lis, quam

*beneficiorum  
collationes*

sis, quam ad ipsum, & præfatam Sedem in arduis & periculosis casibus gesserant devotionem, quâ nimirum de ipso, & dicta Sede benemeriti extiterant, inter alia placuit, quod de dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis sæcularibus vel regularibus, cuiuscumque valoris & qualitatis forent, quovis modo, & ex quavis persona (exceptis infrascriptis reservationibus) in Civitate & Diocæsi Leodiensi ex tunc in antea vacare contingeret, ita disponeretur, videlicet, quod quæ in mensibus *Januarii, Martii, Maii, Iulii, Septembris & Novembris* ad collationem Sedis Apostolicæ, illa verò, quæ in reliquis, videlicet *Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris, & Decembris* mensibus vacarent, ad dispositionem Ordinariorum Collatorum Civitatis & Diocæsis prædictarum liberè pertineant.

*Reservationses.*

II. Placuit quoque Prædecessori præfato nullas reservationes dignitatum, vel beneficiorum prædictorum generales vel speciales facere, neque factis tunc per se, vel Prædecessores suos: utri, exceptis reservationibus in corpore iuris clausis, & exceptis dignitatibus, & beneficiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, nec non Prothonotariorum, Sedis Apostolicæ Auditorum, literarum contradictarum Correctorum, Auditorum causarum Palatii Apostolici, & Auditorum Camerae Apostolicæ, necnon Clericorum eiusdem Camerae, Accolytorum, Cubiculariorum, Abbreviatorum ad numerum centum, Scriptorum grossæ ad numerum centum & unius, Scriptorum Pœnitentiariæ ad

num eo

merum viginti quatuor, nec non omnium verorum familiarium, continuorum commensalium suorum, & Cardinalium prædictorum, quamdiu vera familiaritas duraret.

III. Placuit præfato EUGENIO Prædecessori Nostro *Electiones.* electiones ad Ecclesiam Cathedralē & Monasteria, ac maiorem post Pontificalem, & principales in Collegiatis Ecclesiis dignitates electivas per tempus & tempora à iure statuta expectare, illasq; approbare, & confirmare, vel infirmare, prout iustitia & æquitas suaderent: nisi ex aliqua rationabili & evidenti causa in literis Apostolicis exprimenda, aliter visum foret expedire: provisò etiam, quod confirmati, seu provisì per Sedem Apostolicam Ordinariis præstent debita iuramenta, & alia, ad quæ de iure & consuetudine tenentur.

IV. Dein cum super præmissis quædam dubia orta fuissent, idem Prædecessor per quasdam alias literas suas declaravit, illorum dumtaxat ex familiaribus prædictis beneficium intra Civitatem & Diocesim prædictas consistentia censi debere reservata, qui actu veraciter, & sine fraude sui & successorum suorum Romanorum Pontificum & Cardinalium huiusmodi pro tempore existentium familiares, continui commensales essent, & quod vera familiaritas huiusmodi censi deberet dumtaxat durare, quamdiu familiares ipsi veraciter actu & sine fraude suis & eorum servitiis realiter insisterent, suisq; & eorum expensis cum effectu viverent, & non aliàs quoquo modo: nec non quod *Sedis Apostolicæ familiarium interpretationem.*

rum prædictorum Cubiculariorum beneficia sub huiusmodi reservatione includi deberent dumtaxat, quamdiu tales veraciter & actualiter existerent; & quod illis tales esse realiter desinentibus, reservationes beneficiorum ipsorum omninò cessarent.

*Nec non  
Abbreviatorum.*

V. Voluit quoque, ac statuit & ordinavit, ex tunc & inanteà illorum dumtaxat Abbreviatorum beneficia, intra eandem Civitatem & Dioccesim consistentia, censeri debere reservata, qui de Civitate & Diocesi Leodiensi nativi essent, etiam si illi multò pauciores numero centena existerent, prout in eisdem literis, quarum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum inserti forent, haberi volumus pro expressis, plenius continetur.

*Premissa  
confirmat  
& ampliat.*

VI. Nos igitur fidelitati & constantiæ Episcopi & aliorum dictarum Civitatis & Diocesis collatorum non ignari, cupientesq; dilecto filio LUDOVICO electo Leodiensi, eiusq; successoribus & collatoribus antedictis materiam dare, ut in similibus casibus Nostri eis ob huiusmodi devotionem collati beneficii memores, studeant dictæ Sedis firmâ semper devotione parere, motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate eidem LUDOVICO electo, aliisque Ecclesiarum Prælatibus, & Monasteriorum, ac aliorum Religiosorum locorum quorumlibet, eorumq; Capitulis, Conventibus, Canonicis & personis Ecclesiasticis, & aliis quibuscumque, ad quos Maioris, & aliarum Civitatis & Diocesis prædictarum Ecclesiarum Canonicatum, Præbendarum, dignitatum, personatum, administrationum

& offi

& officiorum, & aliorum quorumvis Ecclesiasticorum beneficiorum, sæcularium vel regularium, in eadem Civitate & Diœcesi consistentium, cujuscumque qualitatis & valoris annui fuerint, collatio, provifio, præfentatio, electio, feu quævis alia difpofitio communiter, vel dififim pertinet, eorumq; fuffefforibus pro tempore exiftentibus, auctoritate Apoftolicâ, & ex certa fcientia, tenore præfentium concedimus, nec non ftatuimus & ordinamus, ut de eifdem Canonicatibus, & Præbendis, ac dignitatibus, perfonatibus, adminiftrationibus, officiis vel beneficiis, quæ de cætero perpetuis futuris temporibus in *Februarii, Aprilis, Junii, Augufti, Octobris, & Decembris* menfibus vacare contigerit (dumodò illa difpofitioni Apoftolicæ per modos reformationũ in eifdem *EUGENII* literis expreffarũ generaliter refervata non fint) etiã fi per fimiles alios modos refervata fuerint, plenè & liberè, ac fine impedimento vel contradictione quacũque, auctoritate fuâ ordinariâ difponere valeant, perinde, ac fi nullæ ab eadem Sede, vel Legatis ejus expectativæ gratiæ fpeciales, vel aliæ fimiles refervationes, & de fic refervatis mãdata, uniones quoque & fanchiones, incorporationes, fuppreffiones, approbationes, prærogativæ, antelationes, declarationes, aliaq; ad vacatura beneficia quomodolibet concessæ literæ, quæ ipfos quomodolibet impedire valerent, & quæ in *Februarii* & aliis quinque alternativis menfibus fupradictis, quibufvis in eis derogatoriis contentis claufulis non obftantibus, fibi locũ vendicare volumus, pro tempore quomodolibet emanaffent.

*Forumq.  
vigore col-  
lationes ab  
Ordinariis  
factas ap-  
probat &  
confirmat.*

VII. Et quia certiores facti sumus, quod iidem Collatores post emanationem literarum EUGENII Prædecessoris huiusmodi, earum vigore suis collationibus in eisdem *Februarii* & aliis alternativis mensibus bonâ fide usi fuerunt, Nos ad litium, quæ exinde inter provisos ab eis, & quosvis alios subortæ sunt, vel de cætero roborari possent, succidendos anfractus, volumus singulos per Ordinarios supradictos in eisdem *Februarii*, & aliis alternativis mensibus de dictis Canonicatibus, Præbendis, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, ad eorum collationem, provisionem, electionem, seu quamvis dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus, aliàs rite factas collationes & provisiones, aut ad alias præsentationes, vel electiones, seu alias dispositiones quascumque, & quælibet inde secuta, dummodò illa per modos superius exceptos generaliter dispositioni Apostolicæ reservata non fuerint, ita ratas & firmas remanere debere, & earum vigore Canonicatum, Præbendarum, dignitatum, personatum, officiorum, & aliorum beneficiorum huiusmodi possessores, contra quos etiam lites inchoatæ sunt, dummodò ad conclusionem processum in causa exclusivè non extiterit, super eisdem Canonicatibus, Præbendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, beneficiis de cætero per quemcumque, etiam quarumvis Apostolicarum commissionum obtentu molestari non possint; quas nihilominus omnes & singulas collationes, provisiones, præsentationes, electiones, & alias dispositiones Nos, si & in quantum

opus

opus sit, eorundem Canonicatum, Præbendarum, dignitatum, personatum, officiorum, & beneficiorum qualitates & veros valores annuos pro expressis habentes, ratificamus, revalidamus, & approbamus, ac plenum robur obtinere decernimus. Nec non omnes & singulas lites huiusmodi coram quibuscumque Iudicibus seu Auditoribus, & ex quibuscumque commissionibus pendeant, illarum status pro expressis habentes, & eas ad Nos harum serie advocantes, motu, auctoritate, & scientia supradictis penitus extinguimus, nec non adversariis eorundem perpetuum silentium imponimus per præsentis.

VIII. Et insuper pariformiter placet Nobis, & de cætero intendimus electiones ad Cathedralē Ecclesiam, & maiorem in dicta Ecclesia Cathedrali post Pontificalem, nec non principales in Collegiatis Ecclesiis dignitates, ad quas personæ consueverunt per electionem assumi, per tempus & tempora à iura statuta expectare, illasq; approbare, & confirmare, vel infirmare, prout iustitia & æquitas suadebunt, nisi forsan Ecclesia cathedralis per translationem, ac Monasteria, & dignitates ipsæ per promotionem ad aliorum Monasteriorum regimina, vel affecutionem aliarum dignitatum, seu beneficiorum Ecclesiasticorum auctoritate Apostolicâ faciendam vacarent, aut illa ex modis reservationum prædictarum aliàs reservata forent, seu ex aliqua alia rationabili & evidenti causa in literis Apostolicis exprimenda, Nobis & Sedi Apostolicæ præfatæ aliter visum fuerit expedire. Volentes quod confirmati, seu provisi per Sedem Apostolicam, Ordinariis præstent.

*Electiones ad Episcopatum, aliasq; dignitates maiores à Sede Apostolica confirmandas decernit.*



stent debita juramenta, & alia ad quæ de jure & consuetudine tenentur.

*Beneficia  
duas ar-  
genti mar-  
chas non  
excedentia  
in omni  
mense Or-  
dinaris re-  
servat.*

IX. Volumus insuper, quod nulli Canonatus, Præbendæ, dignitates, personatus, officia, aut alia beneficia Ecclesiastica Civitatis & Diocesis prædictarum, cujuscumque qualitatis fuerint (quæ saltem duas marchas argenti secundum communem æstimationem non valeant annuatim) sub quibuscumque expectativis gratis, quibuscumque personis per Sedem prædictam, vel ejus Legatos sub quavis verborum forma pro tempore concessis, quomodolibet comprehendantur, nec possint prætextu gratiarum hujusmodi acceptationes, & provisiones per quemquam fieri de iisdem, sed Ordinarii, seu illi ad quos illorum spectat collatio, provisio, seu quavis alia dispositio, liberè de illis disponere valeant, etiam in quocumque mense vacaverint.

*Decretum  
scribitur.*


X. Decernentes, quod præsentibus Nostri concessionis, statuto, ordinationi, voluntati, decreto, & literis per quascumque alias Constitutiones, Regulas Cancellariæ, aut literas Apostolicas quorumcumque tenorum, & quascumque in se derogatorias clausulas continentes, etiam eisdem præsentibus, cum illarum de verbo ad verbum infertione, specificè & expressè derogantes non derogetur, nec quomodolibet derogatum censeatur: nisi tunc demùm, cum Romanus Pontifex per trinas literas præsentium seriè continentes, eisdem collatoribus significandum duxerit, suæ mentis esse, pro ea vice dumtaxat concessionis, statuto, ordinationi, & declarationi hujusmodi derogare: nec non ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam

quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter con-  
tulerit attentari.

XI. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus Delegatis  
consecra-  
rum.  
& ordinationibus Apostolicis, atque Nostreis, etiamsi de  
illis de verbo ad verbum mentio facienda esset.

XII. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc pagi- Sancti pe-  
nalis.  
nam Nostrorum concessione, statuti, ordinationis, ratifi-  
cationis, revalidationis, approbationis, decreti, extinctio-  
nis, impositionis, intentionis, constitutionis & voluntatis  
infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autè hoc  
attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis  
Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se no-  
verit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam  
Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo qua-  
dringentesimo quinquagesimo octavo, tertio decimo Ka-  
len. Februarii, Pontificatus Nostri anno primo.

§. 16. Insuper eadem confirmavit & approbavit *Sixtus IV.* E dem  
Sixtus Pa-  
pa 4 atque  
Maximi-  
lianus &  
Carolus 5.  
Imperato-  
res proba-  
vere.  
Pontifex Maximus anno 1479. nec non corroboravere *Maxi-  
milianus & Carolus V.* Imperatores specialibus diplomatibus  
suis, quorum posterius hîc pariter pro Lectoris notitia adji-  
cere vilum fuit.



AROLUS V. Divinâ favente  
Clementiâ electus Romanorum Imper-  
rator semper Augustus, ac Rex Ger-  
maniæ, Castellæ, Arragoniæ, Legionis,  
C c utriusque

utriusque Sicilia, Hierusalem, Hungaria, Dalmatia, Croatia, Navarra, Granata, Toleti, Valentia, Gallicia, Maioricarum, Hispalis, Sardinia, Corduba, Corsica, Murtia, Giennis, Algerbii, Algezira, Gibraltaris, ac Insularum Balearium, Insularum Canaria, & Indiarum, ac terræ firma, Maris Oceani &c. Archidux Austria, Dux Burgundia, Lotharingia, Brabantia, Stiria, Carinthia, Carniola, Limburgia, Luxemburgia, Geldria, Calabria, Athenarum, Neopatria, Wirtembergæ &c. Comes Flandria, Habsburgi, Tyrolis, Barchinonæ, Arthois, & Burgundia, Comes Palatinus, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Ferretis, Kyburgi, Namurci, Rosilionis, Cerithania, & Zutphania; Lantgravius Alsatia, Marchio Burgovia, Oristani, Getziani, & Sacri Romani Imperii: Princeps Suevia, Cathalonia, Austuria &c. Dominus Frisia, Marchia Sclavonica, Portus Naonis, Biscaya, Molina, Salinarum, Tripolis, &

*Exordium.* Mechlinia. Decet Imperialem Majestatem Principes & subditos Nobis ac Sacro Romano Imperio fideles devotos, in suis juribus, privilegiis, & libertatibus nedum conferre

conservare, & manutene-  
re, verum etiam novis præroga-  
tarum beneficiis, & Cæsareæ munificentia gratificatione  
confovere & latius adaugere.

*Num. I.* Itaque privilegia Venerabili *Erardo* Episcopo Leodiensi, Principi & Consiliario Nostro devoto dilecto, suisque Successoribus, Ecclesieque, & patrie Leodiensi, ac universis & singulis illius subditis a quo. Divae memoriae Avo & Antecessore Nostro MAXIMILIANO ad perpetuam rei memoriam concessa, ut non possint dicti subditi in quacumque causa in prima instantia extra dictam patriam evocari, aut ad aliud Tribunal, præterquam Ordinarium & sui domicilii trahi, & seu in corpore, rebus, vel bonis arrestari, repressaliaque; & impignorationes contra ipsos concedi; utque nullae appellationes à quibusvis sententiis Iudicum, seu Iusticiarum majorum vel inferiorum, censualium, feudali-um, seu allodialium, aut aliarum quarumcumque dictae Patriae ad Nos, aut Successores Nostros Romanorum Reges & Imperatores, eorumve Consistorium seu Cameram Imperialem, aut alios Commissarios datos vel dandos interponi, devolvi, seu prosequi, aut per viam supplicationis, vel querelae, seu aliàs quomodolibet introduci, nisi primum & gradatim tales appellationes ad Consilium Episcopi pro tempore existentis fuerint devolutae, introductae, ac definitae & decisae: à quo Consilio non liceat ulterius appellare, nisi in certis casibus & actionibus taxam determinatam excedentibus, ac mediantibus certis solemnitatibus in dictis privilegiis latius expressis, quae in originalibus suis formis ad plenum vidimus, palpavimus, atque certam & indubitam

Hic Caesar  
approbat  
privilegia  
Leodiensium.

tatam illorum scientiam habemus, aliaq; omnia & singula privilegia, indulta, gratias, Franchisias, libertates, donationes, confirmationes, approbationes, concessiones, sententias, diffinitiones, statuta, mores, usus, & consuetudines legitimè & rationabiliter institutas, & instituta, nec non quascunque possessiones, dominia & bona, jura, jurisdictiones, meriq; & mixti Imperii, ac publicæ potestatis functiones, quorum omnium tenores, nomina & cognomina, perinde ac si de verbo ad verbum præsentibus inserta forent, ac pro insertis & specialiter expressis habemus, & haberi volumus à Divis retrò Imperatoribus, & Romanorum Regibus Prædecessoribus Nostri, seu aliorum Regum & Principum largitione, seu fidelium quorumcumque oblatione, aut munificentia, Episcopis, Ecclesiæ, Civitati, Oppidisq; & aliis locis dictæ patriæ Leodiensis, illorumve subditis & incolis conjunctim & divisim, generaliter vel specialiter usque ad hæc tempora quomodolibet concessa seu indulta, & quæ aliàs in præsentiarum justè obtinetis, seu vos, vel successores vestri legitimè obtinebunt; & specialiter privilegia alternativæ collationis beneficiorum quorumlibet in Ordinariis, etiam minorum & taxam duarum marcharum argenti puri non excedentium in Apostolicis mensibus vacantium, à Sanctissimis quondam EUGENIO, PIO, SIXTO, & aliis Romanis Pontificibus præfata Leodiensi Ecclesiæ rationabiliter concessa, & confirmata, mandatumq; pœnale prædictorum privilegiorum, ac Germaniæ Nationis pactorum manutentionia ac conservatione, à dicto quondam Avo Antecessore Nostro emanatum.

natum, ratas & gratas, rataq; & grata habentes, firmaq; & illibata permanere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, & auctoritate Nostrâ Romanâ Cæsareâ, ac de eius plenitudine potestatis, aliasq; omnibus modis & viis, quibus efficacius possumus, confirmavimus, laudavimus, approbavimus, & renovavimus, ac de novo quatenus opus est, concessimus, dedimus, indulgimus, restituimus, & reintegravimus, prout etiam tenore præsentium confirmavimus, laudamus, approbamus, renovamus, atque de novo concedimus, damus, indulgemus, restituimus & reintegramus, nec non omnibus & singulis in eisdem privilegiis, & eorundem tenoribus concessis, perpetuam Imperialis roboris firmitatem adiicimus, motu, scientia, auctoritate & potestate quibus supra; omnem defectum tam iuris, quam facti, si forsan intervenisset, supplentes, præfatamq; Ecclesiam, & illius membra, atque supposita in dictis Eugenii, Pii & Sixti, quam aliorum Romanorum Pontificum privilegiis comprehensa, eorundem beneficio perpetuò gaudere, inq; eorundem possessione & usu illæsa conservari & manteneri. Et eorum vigore in mensibus Ordinariis, seu Apostolicis provisos, pro legitimis possessoribus recognosci, eisq; de fructibus & proventibus universis beneficiorum huiusmodi responderi, provisionibus, gratiis, reservationibus, nominationibus, & nominandi facultatibus quibuscumque Collegiis, Universitatibus, aut personis ad Nostrî ipsius instantiam quomodolibet factis aut concessis, etiam per placitum Nostrum approbatis, & receptis, aliisq; in contrarium facientibus non obstantibus

quibuscumque, prout illas in præiudicium Ecclesiæ & privilegiorum antedictorum nullatenus obstare; quin imò pœnis in prætaçto Antecessoris Nostri mandato in contræcentes quoslibet comminatis & fulminatis locum esse, illasq; executioni debitæ iuxta eiusdem tenorem ac continentiam, & aliàs cum omni rigore demandari volumus, & declaramus.

*Et ampli-  
as.*

II. Et ulterius cupientes dicto Episcopo, Ecclesiæ, & Patriæ Leodiensi, ob constantem illorum in Nos & Sacrum Imperium devotionem, ac bene merita, gratiam facere uberiorem, taxam sexingentorum florenorum aureorum in bonis realibus & immobilibus, & trecentorum florenorum consimilium in personalibus & mobilibus, in prætaçto Antecessoris Nostri privilegio præfinitam, præfenti Nostrâ in perpetuum duraturâ Constitutione duplicamus, & ad mille ducentos & sexingentos florenos auri respectivè reducimus & ampliamus.

*Modus sta-  
cutur in  
appellatio-  
nibus.*

III. Itaque non liceat de cætero à sententiis præfati Consilii summam, sive taxam mille ducentorum florenorum auri in bonis realibus & immobilibus, aut sexingentorum in personalibus & mobilibus actionibus non excedentibus appellare, vel supplicare, aut aliàs illis quomodo libet contravenire; cæteris in dictis privilegiis contentis clausulis, decretis, atque capitulis, in suo robore permanentibus; volentes & præfenti Nostro Edicto Cæsareo decernentes, citationes, evocationes, arrestationes, repressalias, aut impignorationes quâcumque auctoritate etiam Cæsareâ Nostrâ, aut Antecessorum Nostrorum, seu Successo-  
rum,

rum, etiam vigore quarumcumque rescriptionū, seu commissionum generalium vel specialium, contra subditos & incolas antedictos quomodolibet factas vel in posterum faciendas, appellationesq; , provocationes, recursus, supplicationes, rescripta & commissiones, processusq; , inhibitiones, citationes, & acta ubilibet, etiam coram Imperiali Consistorio, aut alio quolibet Superiore in præiudicium præactorum privilegiorum & indultorum, & à tempore datæ eorundem quomodolibet factas, interpositas, concessas, emanatas & introductas, & in posterum faciendas, interponendas, concedendas, cum omnibus & singulis suis exinde subsequutis & subsequuturis, nulla, cassa & irrita fore, prout tenore præsentium auctoritate Nostrâ Cæsareâ ex nunc, prout ex tunc, & è contra ad Nos advocamus, & omninò annullamus, cassamus, irritamus, ac prorsus abolemus & extinguimus, dictumq; Consilium, seu illius membra, aliosq; subditos & incolas antedictos ad præmissa, & eorum alicui parendum, sive obtemperandum nullatenus teneri, sed illis impunè contravenire, & dictorum privilegiorum beneficio gaudere, illaq; & sententias, ac decreta eorundem vigore lata vel ferenda, omnibus modis, viis & formis melioribus, ad instar Consistorii Nostri Imperialis, seu aliàs quomodolibet executioni debitæ demandari posse, ac debere declaramus, non obstantibus, quæ dictus Prædecessor Noster in præactis privilegiorum rescriptis voluit non obstare: aut si aliqua iustitiæ patriæ prædictæ ad aliud capitale iudicium extra dictam patriam provocare



vocare consueverunt, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

*Decretum  
p. 111. e.*

IV. Nulli ergo omnino hominum ubilibet sub sacro Romano Imperio, aut Nostra ditione, seu districtu constitutorum, cujuscumque status, gradus, vel conditionis extiterint, liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, innovationis, concessionis, ampliationis, decreti, declarationis, mandati, voluntatis, ac gratiae infringere, aut ei quomodolibet contravenire. Si quis autem id attentare praesumpserit, praeter & ultra nullitatem actus, poenasque in dictis privilegiis & mandato contentas, Nostram & Imperii sacri indignationem gravissimam, ac poenam quinquaginta marcharum auri puri, usibus in dictis privilegiis destinatis, & extra casus eorundem privilegiorum, erario Nostro applicandam, toties quoties ipso facto incurrat. Mandantes omnibus & singulis Principibus, Ballivis, Ammannis, & locorum officiiis ubilibet constitutis, Nobis & Sacro Imperio subiectis, quatenus praetactas poenas ad usum destinatum, & a contraventoribus irremissibiliter exigant, exequantur, tam per apprehensionem & arrestationem corporum, ac bonorum eorundem, quam aliis modis & viis opportunis quibuscumque, nec prius a dicta apprehensione seu arresto manum levent, donec contraventores huiusmodi praefatam poenam, sicut praemittitur, applicandam ad aerarium dicti Consilii, & in casu contraventionis supradicti mandati, Nobis aut fisco Nostro integraliter persolverint, & attentata quaelibet in praerudicium praetactorum indultorum & mandati revocaverint, dictarumque apprehensionum seu

num seu attentatorum absolutionem, & relaxationem ab eodem Consilio, seu Nobis obtinuerint, cui etiam Consilio liceat contra communitates loci, seu domicilii huius, modi contraventorum, quatenus modo præmissis, seu alio quovis modo constringi nequeant, & Dominus temporalis, & Magistratus, seu is qui iurisdictioni illius loci præest, desuper ab eodem Consilio & illius auctoritate requisitus in executione dictæ pœnæ negligens, aut remissus extiterit, repressalias concedere & concedi mandare, ac fiscum & exactorem prædictæ pœnæ tam Nostro, quam Episcopi pro tempore nominibus deputare, & ordinare, eumq; toties quoties revocare, & alium in eius locum surrogare harum testimonio literarum sigilli Nostri appensione munitarum. Datum in Oppido Nostro Gandavo, die vigesima septima mensis Iulii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo, Regnorum Nostrorum Romani tertio, aliorum verò omnium sexto. sic signatum de manu Cæsareæ Maiestatis sub plica *Carolus.* & retrò supra plicam, *Ad mandatum Cæs. S. Maiestatis proprium.*

*A. a. Mart. R.*

Dd

DVBI-